Universitätsbibliothek Paderborn

# Lerna Malorvm Omnivm; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. VII. Adferuntur vera, quibus ipse Deus in S. Scripturâ ostendit, quantopere sentiat iniuriam, quæ ei per peccatum mortale fit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46756

Visual Library

que hoc eſt, quod nos præcipuè ad ſentiendam peccati mortalis grauitatem mouere debet.

*Afferuntur verba, quibus ipſe Deus in ſacrâ Scripturâ oſtendit, quantoperè ſentiat iniuriam, quæ ei per peccatum mortale fit.*

## CAP. VIII.

SI meliùs intelligere velimus peccati grauitatem ex hoc capite, quòd ſit contra Deum, oportet nos ſcire verba digna conſideratione, quibus Spiritus Sanctus in ſacris litteris huius iniuriæ, & offenſæ, quæ Deo per peccatum mortale fit, grauitatem explicat. In primâ mundi ætate cum multiplicati eſſent homines, & malitia creuiſſet, dicit diuina Scripturâ: a *Videns Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, pœnituit eum, quod hominem feciſſet: & tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vſq; ad*

*ani-*

a *Geneſ. 6. 5.*

*animantia, à reptili vſq; ad volucres cæli,* quæ ad illius obſequium feci: *pœnitet enim me feciſſe eos.* Hæc verba mox declaraturi ſumus. Sed priùs alia, quæ eundem ſenſum, offenſamque Dei, è peccatis proficiſcentem, ſignificant, conſideremus. Referens Propheta Oſeas peccata, quæ decem tribus Iſraël, quæ regiam ſuam habebant in Samariâ, contra Deum commiſerant, ait: *a Pereat Samaria*; id eſt, Samaria peribit, ſicut ego Prophetizo: & cauſa huius eſt, *quoniam* peccatis ſuis *ad amaritudinem concitauit Deum ſuum*; id eſt, valdè exacerbauit eum, magnamque illi amariciem attulit. Et Dauid de quouis homine malo, qui Deum offendit, loquens, *exacerbauit Dominum peccator, b* inquit; ad amaritudinem, & iracundiam eum prouocauit. Et de filijs Iſraël, qui in deſerto peccârunt, ait: *c Tentauerunt, & exacerbauerunt Deum*; id eſt, amaricauerunt, & fel dederunt Sancto Iſraël, Domino Deo,



a *Oſ.14.1.* b *Pſ.10.3.* c *Pſ.77.56.*

qui eſt ipſa ſanctitas, & fons ſanctita-
tis. Et Iſaias Propheta loquens de ci-
uitatis à Deo dilectæ habitatoribus,
qui poſt acceptas ab eo multas miſe-
ricordias, multis ipſum peccatis of-
fenderant, Dominus, inquit, *a in in-*
*dulgentiâ ſuâ* à multis malis *redemit eos,*
*&* potentiâ ſuâ *portauit*, conſeruauit-
que *eos, &* ingentibus beneficijs *eleua-*
*uit eos: ipſi autem ad iracundiam proua-*
*cauerunt, & afflixerunt ſanctiſſimum ſpi-*
*ritum eius*, qui eſt ipſa ſanctitas; ideó-
que *conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe*
*debellauit eos*. Hoc eſt, quod homo pec-
cando facit; Deum affligit, atque con-
triſtat. Et idcirco S. Paulus vetans pec-
catum mala verba proferendi, *nolite*
ait, *contriſtare Spiritum Sanctum. b* Hi
tanti horroris, terroríſque verbis ſi-
gnificat diuina Scriptura magnitudi-
nem iniuriæ, quam homo facit Deo
per peccatum mortale. Clarum eſt, in
Deum nec dolorem, nec amaritudi-
nem, nec triſtitiam, nec iram, nec pœ-
niten-

a *Iſ. 63. 9.* b *Ad Eph. 4. 30.*

nitentiam cadere, cum infinitè beatus, immortalis, & ab omni paſſione liber ſit: ſed vt diuina Scriptura ſignificet diſplicentiam, & ſenſum ſpiritualem, quem is habet, peccatorum, & quantoperè illis offendatur; nec non effectus, quos operatur, peccatores deſtruendo, deſerendo, à ſe repellendo, puniendo, & condemnando; vtitur his terminis ſignificantibus magna mala, & graues iniurias, quas homines accipiunt, quapropter conqueruntur, ipſóſque pœnitet boni, quod ingratis fecerunt, & valdè affliguntur, triſtantur, indignantur, & ad puniendos, à quibus offenſi ſunt, ſeque vlciſcendos mouentur.

Et quemadmodum Scriptura ſacra veteris Teſtamenti grauitatem iniurię, quæ per peccatum Diuinitati Dei fit, his tam terribilibus, tantæque, ac tam iuſtæ exaggerationis terminis manifeſtauit; ſic in nouo Teſtamento alijs ſimilibus, & grauioribus, mirabilibúſque terminis magnitudinem iniuriæ,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quæ per peccatum Diuinitati, Huma-
nitatíque Dei hominis facti, Chriſti
inquam, Domini noſtri, fit, manifeſta
Loquens S. Paulus de hominibus, qu
poſt Baptiſmum, & miſericordias, do
náque Dei, quæ in ſuâ religione Chri-
ſtianâ acceperunt, expertíque ſunt
grauibus eum peccatis offendunt, ait:
a *Prolabentes* in peccata, *rurſum cruci*
*figunt Filium Dei*, eúmque denuò infa-
mant, & *oſtentui habent*, ſicut qui ipſum
crucifixerunt; quia repetunt, & viuifi-
cant peccata, quæ cauſa fuerunt paſ-
ſionis, & mortis eius, & opprobrio-
rum, atque ignominiarum, quas ei in
ipſius paſſione intulerunt. Et niſi paſ-
ſio illius fuiſſet efficax, ita vt tollen-
dis omnibus factis, faciendíſque vſque
ad mundi finem peccatis ſuffeciſſet
neceſſarium fuiſſet ad eos inde per ſa-
tisfactionem iuſtitiæ liberandos, Chri-
ſtum denuò pati, & mori, quoties ho-
mines peccant: & idcirco quando ho-
mines poſt redemptionem peccant
verè

a *Ad Hebr. 6. 6.*

verè dicuntur, quantum in ipſis eſt, *rurſum crucifigere Filium Dei.* Et alibi comparans peccatum malorum Chriſtianorum cum peccato malorum Iſraëlitarum, dicit: a *Irritam quis faciens legem Moyſi* per grauem aliquam culpam, conuictus in foro externo *duobus, vel tribus teſtibus, moriebatur* nam viuus lapidabatur, aut comburebatur; *quantò magis deteriora meretur,* homo, ſumetque in alterâ vitâ Deus *ſupplicia* de illo, qui contra legem gratiæ peccando, conculcauerit, contempſeritque Filium Dei, & ſanguinem, quem ipſe Dominus in Cruce fudit, quo redemit nos, nouumque *Teſtamentum* confirmauit, pollutum, exigui valoris, ac ſine virtute tollendi peccata duxerit? Hoc enim factis fatetur, qui illo non vtitur, & qui in illo ſanctificatus, iterum peccat, eiuſque fructum perdit, & qui Spiritui Sancto, qui gratioſè per gratiam ſuam ſe illi communicat, contumeliam facit, tam parui



a *Ad Hebr. 10, 28.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gratiam eius æſtimans, vt ipſam peccando velit perdere, tamque parui ipſum Spiritum Sanctum ducens, vt eum per peccata de habitatione animæ ſuæ eijcere, & in eius locum Dæmonem admittere velit. His tam patheticis, & tam exaggerantibus verbis, tantâque cum veritate S. Paulus manifeſtauit immenſam peccati mortalis grauitatem, quòd ſit iniuria, & offenſa Dei, ac præcipuè grauitatem, quam habet, poſtquam Filius Dei homo factus, paſſus, mortuuſque propter hominem eſt. Auget deinde huius iniuriæ magnitudinem, culpæque grauitatem vilitas & exiguitas hominis, qui Deum per peccatum iniuriâ afficit, atque offendit: quemadmodum enim perſonæ magnitudo auget iniuriam, quam ea accipit, ſic vilitas perſonæ auget iniuriam, quam ipſa facit. Certum eſt, totum hoc vniuerſum ex cælis, & elementis, ex hominibus, & Angelis compoſitum, in conſpectu Dei rem admodum paruam, multóque mino-

minorem eſſe, quàm ſit atomus in aëre reſpectu cæli. Sic Sapiens ait cum Deo loquens: a *Tanquam momentum ſtateræ*, ſiue vnicum granulum, *& tanquam gutta roris antelucani, ſic eſt ante te orbis terrarum.* Et de vniuerſis, qui fuerunt, eruntque, hominibus Iſaias dicit: b *Omnes gentes quaſi non ſint ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputata ſunt.* Iam ſi vnicus homo cum toto vniuerſo comparatus res tam exigua eſt, quid erit ante Deum, & cum Deo ipſo comparatus? Clarum eſt, eum rem in extremo gradu minimam, infimamque fore; & ſi huic naturali paruitati vilitas, & abominatio peccati accedat, fit homo coram Deo res tam humilis, vilis, & abominabilis, tamque digna omni contemptu, vt nequeat explicari. Et tamen oportet cũ veritate dici poſſe, quod talis creatura offenderit æternum Deum, iniuriâ affecerit infinitũ bonum, eum ſpreuerit, qui eſt infinita pulchritudo, &

ama-

a *Sap.11.23.* b *Iſ.40.17.*

amaricauerit eum, qui eſt fons perennis gloriæ, & iratum fecerit eum, qui eſt omnipotens, qui eſt iudex viuorũ, & mortuorum, quique ipſa eſt rectitudo, atque iuſtitia. O quanta hæc eſt peruerſitas! ô quàm hoc ingens peccatum, quippe contra talem Maieſtatem, & à tam vili creaturâ cōmiſſum! ô quàm iuſtè is, qui rem talem facit, multatur æternâ damnatione, quam Iſaias minatur, dicens: *Væ qui* cum ſit *teſta de ſamijs terræ*, & *lutum* exiguum, *contradicit fictori*, creatorique *ſuo*, negans ei debitam fidem, & obedientiã. Sic perſonæ peccantis vilitas auget culpam; eandémque auget cauſa, quâ ad peccandum mouetur: cum enim tanta ſit iniuria, & contra talem fiat Maieſtatem, homo ad conſentiendum in illam mouetur viliſſimis terræ bonis, ac voluptatibus. Propter exiguum rei familiaris lucellum, propter honoris aliquem fumum, propter vanum vindictæ guſtum, propter momentaneam aliquam gulæ, luxuriæue dele-

cta-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctationem, propter huiuſmodi res in-iuriâ Deum altiſſimum afficiunt, atque contemnunt. Et ſic Dominus ipſe conqueritur de offensâ, quæ ei hac in parte fit, per Ezechielem de peruerſis doctoribus dicens: a *Violabant me coram populo meo*, malâ ſuâ vitâ, falsâque doctrinâ animas eorum corrumpendo, *propter pugillū hordei; & fragmen panis*; hoc eſt, propter viliſſima commoda terrena comittebant ingentia peccata: maluntque obedire Dæmoni, inimico ſuo, qui odit ipſos, ſecumque in infernum pertrahere ſtudet, quàm Deo dulciſſimo patri ſuo, qui amat ipſos, & in cælum vult euehere. Et potiùs volunt ſatisfacere vicioſo carnis ſuæ appetitui, qui animas eorum occidit morte culpæ, æternæque damnationis, quàm placere, ſatiſque facere Deo, qui dat illis gratiæ, & gloriæ vitam. Et magis volunt ſatisfacere propriæ voluntati, quæ infernū damnatis implet, quàm voluntati diuinæ,

quæ

a *Ezech. 13. 19.*

quæ terram ſanctis, & cæleſtẽ curiam beatis replet, ſeſe ſubmittere. Hæc ſunt, quæ nobis peccati grauitatem, quòd ſit iniuria, & offenſa Dei, patefaciunt; & hæc nos vehementer ad illud timendum, odioque habendum mouere debent, dicentes cum Dauide: *a Iniquitatem odio habui, & legem tuam*, Domine, ex corde *dilexi*.

a *Pſ. 118. 163.*

*Adducuntur Euangelij teſtimonia, quibus nobis Chriſtus magnam, quâ Deus per mortale peccatum afficitur, iniuriam patefecit.*

## CAP. VIII.

QVæ Chriſtus in carne mortali fecit opera, quoſque de diuinis, & humanis rebus habuit ſenſus, manifeſtant nobis naturam Dei, & quid ipſe de rebus omnibus ſentiat, ac iudicet. Etenim Chriſtus, in quantum Deus, eſt imago æterna, & expreſſa æterni ſui Patris, eiuſdemque diuinæ ipſius ſubſtantiæ, ac naturæ; & in quantum homo,